

5. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA – Decreto del Prefetto (Burke) in Congresso, *Della perdita dell'ufficio di parroco* – (Rev.do N. – Congregazione per il Clero) – Prot. N. 47418/12 CA [contenzioso amministrativo], 27 febbraio 2014.*

DECRETUM

Recursu adversus amissionem officii parochi die 14 februarii 2013 in limine reiecto, Rev.di N. Advocatus-procurator ad H.S.T. Congressum die 7 martii 2013 provocavit.

Memorialibus pro Rev.do Recurrente die 28 iunii 2013, pro Congregatione pro Clericis die 6 septembris 2013 et pro Exc.mo Episcopo X die 23 octobris 2013 praebitis, Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus votum pro rei veritate die 22 ianuarii 2014 prompsit. Commutatis scripturis atque responsis Cl.morum Patronorum receptis,

[Decretum Congressus] Prot. N. 47418/12 CA, *Amissionis officii parochi* (Rev.dus N. – Congregatio pro Clericis).

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod obiectum recursus ad H.S.T. Congressum est decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 14 februarii 2013;

Considerato quod Rev.dus N. in casu nominatus erat ad tempus determinatum;

Attento quod minime probatur collatio officii, post lapsum praefiniti temporis, oraliter vel tacite facta; cuiuslibet ceterum officii provisio scripto consignetur oportet (cf. can. 156) necnon promissio alicuius officii nullum parit iuridicum effectum (cf. can. 153, § 3);

Viso quod Exc.mus Episcopus X, litteris die 15 iunii 2012 datis ac explicita in iisdem mentione facta praescriptorum cann. 184, § 1, 186, 522 et 538, § 1, Rev.do Recurrenti scripto intimavit amissionem officii parochi ob lapsum praefiniti temporis;

Pro certo, proinde, habito quod procedura in parcho amovendo, de qua in cann. 1740-1747, in casu non est observanda;

Perspecto quod impugnatum Exc.mi H.S.T. Secretarii decretum iam satis assertam violationem legis tam in procedendo quam in decernendo refutavit;

Praetermissis aliis forte ad rem animadvertendis et remissione facta ad argu-

menta in impugnato decreto diei 14 februarii 2013 exposita;

Cum in casu nullum par adducatur argumentum ad rationes motivas in praefato decreto Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 14 februarii 2013 prolatas submovendas;

Cumque in casu non exstet lex, quae parochi ad tempus determinatum nominati elapso termino statuto ius in officio permanendi sancit;

Visis artt. 76, § 1, n. 3 et 83, § 1 H.S.T. Legis propriae;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 27 februarii 2014 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Confirmandum esse et facto confirmari decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii, quo die 14 februarii 2013 in limine recursus reiciebatur ob manifestum praesuppositi defectum.

Pro expensis processualibus retinetur cautio iam in arca huius Supremi Tribunalis deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 februarii 2014.

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*
✠ Franciscus DANEELS, o. praem.,
Secretarius